Sinopicarum quaestionum specimen

Maximilianus Sengebusch

CAROLO LACHMANNO

D. D. D.

AUCTOR.

Ponti Euxini ora, quae hodie maximam partem deserta est, frequentissimo quondam Graecorum commercio celebrata erat Graecisque coloniis consita, quarum nonnullae, veluti Heraclea, Sinope, Olbia, Apollonia in nobilissimis recensebantur universae Graeciae civitatibus. Et Sinope quidem, quamquam Athenarum splendore Ovidio judice [1]) longe superabatur, inter illas tamen primum locum tenebat. Quin etiam Asiae clarissimis atque validissimis populis, Persas dico, Assyrios, reliquos, Plautus vel potius Graecus poeta, quem imitatus est, Sinopenses adnumerare non dubitavit [2]). Strabo Sinopen appellat *ἀξιολογωτάτην τῶν ταύτῃ πόλεων*, Mela clarissimam, Valerius Flaccus magnam, opimam, Eutropius nobilissimam; Stephanus Byzantius et Eustathius *διαφανεστάτην* vocant [3]). Diodorus *μέγιστον*, inquit, *εἶχεν ἀξίωμα τῶν περὶ τοὺς τόπους*.

---

[1]) Ovid. ex Ponto I, 3, 67.

[2]) Plaut. Curc. 3, 72.

[3]) Strabo 12, 545. Mela 1, 19. Valer. Flacc. 5, 109. Eutrop. 6, 8. Steph. *Σινώπη*. Eust. Per. 773.

Ammianus in amplis civitatibus eam recenset. Prisciano moenia clara Sinopes celebrantur. Etiam Phrantzes *τὴν περιβόητον πόλιν Σινώπιον* dicit [1]).

Dignam autem fuisse eam civitatem, quam eiusmodi laudibus celebrarent scriptores, memoria rerum gestarum docet. Namque mediis in barbaris collocata, qui saepius armis eam aggrediebantur [2]), per sex fere saecula libertatem servavit incolumem. Pharnaces demum, Ponti rex, eam cepit; at ne is quidem bello rite indicto aut vi armorum, sed ex improviso securam aggressus proditione oppressit [3]). Regni caput dein victor fecit victam, quae Mithridatis magni gloria magis etiam inclaruit [4]). Quo devicto Sinope a Lucullo in libertatem vindicata [5]) Romanorum coloniam a Caesare missam recepit [6]). Quamvis enim in extremo orbe terrarum hanc urbem sitam esse Romani judicarent [7]), eam tamen potis-

---

[1]) Diod. 14, 31. Ammian. 22, 8, 16. Priscian. vs. 751. Phrantzes 1, 32. 4, 19.

[2]) Polyaen. 7, 21, 2. 5. Aen. Tact. 40. Polyb. 4, 56.

[3]) Strab. 12, 545. Polyb. 24, 10. Liv. 40, 2.

[4]) Cicer. Manil. 8. Diod. 14, 31. Strab. l. c. Memnon ap. Phot. cod. 224. p. 232. b. 2. Bekk. Appian. Mithr. 78. 83. 113. Oros. 6, 2. cf. not. 4.

[5]) Memnon l. c. p. 237. b. 37. sqq. Strabo l. c. Plut. Luc. 23. Appian. l. c. 83. Oros. 6, 3.

[6]) Strabo l. c. Plin. 6, 2. Plin. Epp. 10, 91. 92. — cf. Appian. l. c. 120. Dio Cass. 54, 24. — C. I. 3, 4164. — 534 u. c. Sinope a Mithridate IV frustra oppugnata est, 572 a Pharnace capta, 684 a Lucullo expugnata, 709 a colonia Romana occupata.

[7]) Cicero Verrin. 2, 1, 34. cf. Tuscull. 1, 20.

simum, utpote quae totius Ponti caput esset [1]), in fide retinere voluerunt.

Neque vero Mithridate demum regnante aut Romanorum temporibus, quibus Felicis cognomen ei erat [2]), Sinope prima Ponti civitas facta est. Nam exeunte iam saeculo quinto a. Chr. n. maximas ei fuisse opes, maximam auctoritatem, a Xenophonte edocemur [3]). Athenienses, quum Pericle auctore Ponti Euxini imperium sibi comparare studerent, inprimis apud Sinopenses ineundam esse gratiam viderunt. Quare Timesileo, illorum tyranno, expulso Pericles Atticos *ἐποίκους* Sinopen misit [4]). Herodotus porro, qui reliquas urbes ad Pontum Euxinum sitas aut silentio praetermisit aut verbo tantum tangit, Sinopes tamen nonnullis locis mentionem fecit atque ita fecit, ut ipsius iam temporibus eam huius tractus maxime conspicuam urbem fuisse facile inde colligas [5]). Quid quod Olymp. VIta iam Sinopensium tantae fuerunt opes, tantus civium numerus, ut coloniam deducerent Trapezuntem, quae, Colchidi vicina, a Sinope supra 3000 stadiorum remota erat [6]). Iam Hecataeum Milesium et ante eum Eumelum Corinthium in fabulis patriis Sinopensium celebrandis versatos esse tradunt [7]); quibus fabulis

[1]) Cf. etiam Cicer. Rull. 2, 20.

[2]) Vide nummos Sinopensium coloniae Romanae apud Fontenu in Mém. de l'Acad. 10. Belley in tom. 26. Eckhel, Rasche cett.

[3]) Xen. An. 5. 6.

[4]) Plut. Per. 20.

[5]) Herodot. I, 76. 2, 34. 4, 12. — [6]) V. c. 4.

[7]) Schol. Apoll. Rh. 2, 948. Eudocia v. *Σινώπη*.

Syrus, a quo Leucosyros genus ducere Graeci finxerunt, Sinopes filius vocabatur, propterea quod Sinope universi illius tractus nobilissima erat urbs [1]).

Idem ex ea quoque re intelligitur, quod aliquot Ponticae orae loca, in iis nonnulla Sinopae non ita vicina, *περὶ Σινώπην* sita esse dicuntur. Abonitichos Apollini *ἄγχι Σινώπης* collocatum esse videbatur, Halys et Thermodon appellantur *ποταμοὶ περὶ Σινώπην*, Heraclea Pontica fuit *πόλις περὶ Σινώπην*, Corocondame, Bosporanorum oppidum, ex Artemidori sententia *πλησίον Σινώπης* situm erat [2]). Situm Amisi describebant ita geographi, ut indicarent, quo spatio distaret a Sinope [3]); quin etiam quum alii tum Apollodorus Sinopes regionem dicunt, quae circa Amisum sita est [4]). Strabo universam Ponti oram meridionalem *τὴν Σινώπης παραλίαν* vocat [5]), Eratosthenes *τὴν Παφλαγονίαν καὶ τὰ περὶ Σινώπην* [6]). Et recte quidem illi, quoniam coloniis Sinopensium ea ora consita erat inde ab Heracleotarum finibus usque ad Colchorum terram.

Praeter Trapezuntem enim, Cerasuntem [7]), Co-

---

[1]) V. c. 7.

[2]) Abonitichos: Lucian. Alexandr. 11. — Halys: Schol. Apoll. Rh. 2, 366. — Thermodon: Tzetz. Lyc. 647. — Heraclea: Id. 695. — Corocondame: Steph. s. v.

[3]) Strabo 12, 547. Steph. Ἀμισός. Plin. 6, 2.

[4]) Apollod. ap. Strab. 14, 677. Strab. 2, 68. 14, 664. 678.

[5]) Str. 1, 46. cf. 2, 74.

[6]) Er. ap. Str. 2, 134.

[7]) Xen. An. 5, 5, 10. 3, 2. Diod. 14, 30. Eust. Per. 773. Arrian. peripl. p. 17. Graecam vocant Scyl. c. 88. Ammian. 22, 8, 16.

tyora [1]), quas ab illis conditas esse veteres disertis verbis tradiderunt, etiam reliquas Graecas urbes orientem versus a Sinope sitas, quas Scylax et nonnulli alii enumerant, Sinopensium fuisse recentiores scriptores consentiunt [2]). De qua re non est quod ambigas; nisi forte nonnulla ex illis emporiis a Milesiis condita esse putas, a Sinopensibus postea demum occupata. Quae certe Cytori fuit conditio, urbis occidentem versus a promontorio Carambi sitae [3]). Et Cytorus quidem ab urbe proficiscenti ultimum erat eorum quae occasum solis spectabant Sinopensium emporium; oppida inter Cytorum et Sinopen exstructa et ipsa Sinopensium videntur fuisse, Aegineten dico, Abonitichos seu Ionopolin, cuius urbis ipsum nomen Ionicam indicat originem [4]), Carambin, alia.

Ita barbarorum agris, ut Ciceronis [5]) verbis utar, quasi attexta quaedam erat ora Graeciae, coloniis et emporiis Sinopensium hic illic sparsis. Amplus autem erat et ipse illorum ager, ἡ Σινωπῖτις, qui orientem versus Halye continebatur flumine, DC.

---

[1]) Xen. An. 5, 5, 10. 3. Diod. 14, 31. Arrian. peripl. p. 17. Anon. 1. peripl. p. 11. 12. Eust. Per. 773.

[2]) Rambach, de Mileto p. 49. Mannert 6, 3. p. 13. Rochette, col. Gr. 3, p. 331. Ritter 2, p. 792. Lehnert, de foedere Ion. p. 38. Sickler, A. G. p. 581. Hermann, Gr. Alterth. §. 78, 16. Grysar, Alt. Geschicht. p. 202.

[3]) Strab. 12, 544. Eust. Il. 2, 853. cf. Scymn. frgm. vs. 216 sqq.

[4]) Lucian. Alex. 58. Anon. p. 6. Novell. 29, 1. Const. Porph. Them. 1, 7. Ἰουνόπολιν Menipp. dicit.

[5]) Cicero de Republ. 2, 4.

stadia ab urbe remoto [1]). Meridiem versus usque ad Olgassyn montem omnia tenuisse videntur [2]); ab occidente non constat ubi fuerit terminus, Bithyniam tamen Sinopensium agrum non attigisse Strabo docet [3]); quinquaginta stadiis occidentem versus ab urbe distabat oppidum Sinopensium Armene [4]). Hunc vero agrum, quem dixi, quin jam Xenophontis aetate Sinopenses tenuerint, non est quod dubites [5]). Idem scriptor narrat, Trapezuntem, Cerasuntem, Cotyora non solum pietatis vinculo, quae ratio aliarum Graecarum coloniarum erat, cum matre coniunctas fuisse, sed etiam ex eius voluntate pependisse, ita ut Sinopenses magistratus mitterent atque tributa exigerent [6]). Quam conditionem quum reliquarum quoque ignobiliorum huius civitatis coloniarum fuisse appareat, quas Xenophon non adiit, suo iure Strabonem universam illam oram *τὴν Σινώπης παραλίαν* vocasse manifestum est.

Urbem ipsam magnifice adornatam fuisse idem est auctor. *Αὐτὴ δὲ ἡ πόλις*, inquit, *τετείχισται καλῶς, καὶ γυμνασίῳ δὲ καὶ ἀγορᾷ καὶ στοαῖς κεκόσμηται λαμπρῶς* [7]). Quae omnia uno vocabulo sequen-

---

[1]) Strab. 12, 560. cf. 546. Arrian. peripl. p. 16. Anonym. peripl. p. 9.

[2]) Strab. 12, 561. — Steph. *Πτέριον* dicit, etiam Pteriam urbem Sinopensium fuisse; sed ex quo hausit ille, Hdt. 1, 76. vicinas tantum eas urbes esse scribit.

[3]) Strab. 12, 546.

[4]) Strab. 12, 545. Xen. An. 5, 9, 15.

[5]) Xen. An. 5, 6, 11. 5, 22. 23.

[6]) Xen. An. 5, 5, 24. 25. 10. 7. 20. Eust. Per. 772. cf. Rochette I, p. 45 sqq. — [7]) Str. 12, 545.

tibus τὸν κόσμον τῆς πόλεως vocat, a Lucullo servatum. Inprimis vero mentionem faciamus oportet templi Iovis Ditis extra urbis muros exstructi, in quo dei illius, quem prae caeteris colebant, colossus a Sinopensibus positus erat [1]). Porro Autolyci, quem deum οἰκιστήν habebant, templum erat et oraculum. Statuam dei pulcherrimam Sinopensibus Sthenis fecerat [2]). Eximio cultu prosecuti sunt Apollinem, qui Sinopen adamasse et in Pontum Euxinum deportasse ferebatur [3]). Cultus Apollinis ad Trapezuntios quoque transiit [4]). Iasonem apud Sinopenses cultum esse Strabo docet [5]), Bacchum Dionysii nomen, quod saepius apud illos reperitur [6]). Minerva, Neptunus, Mercurius, Nemesis, Eros, Dioscuri, Perseus, Serapis, Isis in nummis conspiciuntur [7]); Isidis et Serapidis mentio etiam in titulis occurrit [8]).

Sed hactenus de templis deorum. Inter reliqua aedificia palatium Ponticorum regum [9]) et mausoleum [10]) eminebant. Amphitheatri ruinae exstant [11]).

---

[1]) Tacit. Hist. 4, 83. Plut. Is. et Os. 28. soll. animall. 36. cf. infr. c. 8.

[2]) Strab. 12, 546. Plut. Luc. 23. Appian. Mithr. 83.

[3]) V. c. 6.

[4]) V. c. 4. — Ad Apollinem etiam nomen Sinopensis Hecatonymi refero. Xen. An. 5, 5, 7. 24. 6, 3.

[5]) Strab. 1, 46.

[6]) Dionysius comicus et Dionysius grammaticus Sinopenses.

[7]) Rasche Lex. 4, 2. p. 1100 sqq. Eckhel. 2. p. 389 sqq. Mionnet 2 p. 400 sqq.

[8]) C. I. 3, 4157. 4159.

[9]) Diod. 14, 31. Eust. Per. 773.

[10]) Plut. Pomp. 42. Appian. 113. — [11]) C. I. 3, 4157.

Statuae insignes erant Diogenis Cynici [1]. Bases et στῆλαι et sarcophagi in ruinis reperiuntur [2]. Munimenta urbis, quorum mentionem Strabo facit, admodum valida fuisse, docet exemplum Datamis, qui omnibus copiis et machinis instructus Sinopen frustra oppugnavit [3], id quod post hunc etiam Mithridati quarto contigit [4]. Pharnaces non oppugnavit Sinopen, sed ex improviso oppressit. Lucullus, a quo ingens Cilicum numerus urbem defendit [5], non tam vi eam cepit quam discordia inter cives et regis imperatores nata, qui aufugientes urbem prodiderunt. De portuum splendore alio loco dicemus. Artes gymnicas, quibus excolendis gymnasium a Strabone memoratum inserviebat, admodum floruisse vel Philippus docet celebrans ille epigrammate quodam Demostratum Sinopensem, qui sexies Isthmia πάλην vicerit [6]. Gymnasiarchus et ludi facti memorantur in titulo [7]. Etiam maiorem operam posuerunt Sinopenses in artibus musicis et litteris excolendis, siquidem Diodorus, Dionysius, Diphilus comici poetae [8], Baton historicus, Theopompus ut

---

[1]) Diog. Laert. 6, 78.

[2]) C. I. l. c.

[3]) Aen. Tact. 40. Polyaen. 7, 21, 2. 5.

[4]) Polyb. 4, 56.

[5]) Cf. scriptt. supra citt. De Cilicibus v. inprimis Plut. Luc. 23.

[6]) Anth. Planud. 3, 25.

[7]) C. I. 3, No. 4157.

[8]) Diodorus: Athen. 6, 27. 36. 10, 38. Dionysius: Athen. 11, 32. 97. 14, 5. Diphilus: Strabo 12, 546. Anonym. de comoed. in scholl. Aristoph. ed. Dindf. Oxon. I. p. 26. Meinecke I. p. 418. 419. 446; 3. p. 543 sqq.; 4. p. 375 sqq.

videtur geographus, Billarus astrologus, cuius sphaeram Lucullus Romam misit, Dionysius grammaticus, qui *περὶ ὁμωνύμων* scripsit [1]), Timotheus, Menippus, Hegesaeus philosophi [2]) eorum cives erant, ne dicam Diogenem Cynicorum principem, qui Sinopensium nomen clarissimum reddidit. Inde ab Asterio episcopo Sinope vocatur „civitas antiqua, nota, praeclarorum virorum ferax et philosophorum" [3]). Nec praetermittendum est, Sinopenses propriam sibi habuisse Homeri editionem, *τὴν Σινωπικήν*, unam ex septem illis editionibus, quae *αἱ κατὰ πόλεις* vocantur, iuxta Massalioticam, Chiam, Argolicam, Cypriam, Creticam, saepius a commentatoribus Homeri laudatam [4]).

Maxima vero cura erat rerum maritimarum. Neque enim Mithridatis solum tempore Sinopensibus classis eaque ex triremibus constans erat, quibus contra Romanos fortiter pugnatum est [5]); sed iam Xenophonti solorum Sinopensium tanta res navalis esse videbatur, ut ipsi centum naves exercitui transportando necessarias praebere possent [6]). Datames

---

[1]) Baton: Strab. l. c. Athen. 6, 59. 10, 48. 14, 45. Plutarch. Agis 15. cf. praef. Schoem. Voss. Hist. Gr. West. 408. — Theopompus: Phlegon Mirabb. 19. — Billarus: Strab. l. c. cf. Fontenu et Mannert. — Dionysius: Schol. Il. 7, 304.

[2]) Timotheus: Strab. l. c. — Menippus: Diog. Laert. 6, 95. cf. 99 sqq. — Hegesaeus: Diog. Laert. 6, 84.

[3]) V. Fontenu l. c. p. 480.

[4]) Schol. Il. 1, 298. 423. 435. 2, 258. 5, 461. Fabricii Bibl. Gr. 1, 360 sqq. Wolf. Proll. p. 175. Pauly, Realencyclop. 3. p. 1438. s. v. Homerus.

[5]) Memnon l. c. Appian. Mithr. 83.

[6]) Xen. An. 5, 6, 1. cf. 5, 7, 8. 9, 14. Diod. 14, 31.

Sinopensibus bellum inferre dubitabat, quippe qui classem magnam haberent [1]). Strabo imperium quodammodo Ponti Euxini eos tenuisse dicit atque saepius trans Cyaneas classem misisse Graecis auxilium ferentem [2]). Diodorus auctor est Ponticorum et Hellespontiorum Graecorum Xerxis classi octoginta interfuisse triremes [3]), quarum maxima pars procul dubio Heracleotarum et Sinopensium erat. Hellespontii enim, quorum urbes paucis annis ante Persae deleverant, eo tempore vix redivivi erant, pariter atque ipsa Ionia dodecapolis, quae C tantum naves praebere potuit, quum ante seditionem Aristagora duce factam supra quadringentas ei fuissent.

Magnifice instructa fuisse accepimus navalia atque portus. Sinope, *πόλις ἀλίκλυστος* a Dionysio vocata [4]), in cervice Chersonesi sita erat [5]), cuius extrema lingua *τὸ πηδάλιον* appellabatur [6]). Difficillimum erat naves adpellere ad ipsum Chersonesi littus, scopulis undique ita cinctum, ut erinacei speciem referret. Praeterea in ipsa ora continuae erant cavernae, a Sinopensibus *χοινικίδες* appellatae, quas mare intumescens implebat [7]). Quae loci natura

---

[1]) Polyaen. 7, 21, 2.

[2]) Strab. 12, 545.

[3]) Diod. 11, 3.

[4]) Dionys. Per. 972.

[5]) Hdt. 4, 12. Strab. 12, 545. Polyb. 4, 56. Plut. Luc. 23. Eust. Per. 773. 970. Od. 12. 246. Orph. Argonn. 757. (*τρηχὺς ἀγκὼν Σινώπης*). Cf. Tournefort, voyage 3, ep. 17. Hamilton, researches 1, 306 sqq.

[6]) Plut. Luc. 23. — [7]) Polyb. Strab. ll. cc.

quamvis inaccessam redderet urbem hostium classi, Sinopensibus ipsis tamen non obfuit. Isthmo enim illi duo stadia lato [1]) duo portus subiacebant [2]), quorum alter, in orientali ora collocatus, naves excipiebat Bosporo, Dioscuriade, Trapezunte, ex reliquis eius tractus emporiis profectas, alter, qui occidentem versus patebat, commerciis cum Graecia propria, Borysthene, Apollonia, Heraclea faciendis locum dedit. Ante hunc portum insula quaedam sita erat, *Σκόπελος* vocata. Naviculis per fretum navigare licebat, quod inter illam est et terram continentem, 40 vel 50 stadiorum iter; magnae naves onerariae Scopelum circumnavigabant per altum mare, 80 vel 90 stadiorum iter [3]). Quam navigationem quum tempestate oborta marique intumescente difficiliorem esse et periculosam vidissent, occidentem versus a Scopelo in recessu sinus cuiusdam ad Armenen oppidum Sinopenses maximum portum exstruxerunt, C et quod excedit navium capacem [4]). Is igitur portus naves excipiebat, ubi ad ipsam Sinopen pervenire non poterant. Etiam orientem versus ab urbe *χωρία ἐπιθαλάττια* Sinopenses sibi comparaverant [5]), quorum maximum erat Carusa centum quinquaginta stadia ab urbe remotum, *ἐμπόριον καὶ λιμήν*, ut Menippi verbis utar [6]).

---

[1]) Polyb. l. c.

[2]) Strabo l. c.

[3]) Menipp. p. 72. Anonym. peripl. p. 7.

[4]) Xen. An. 5, 9, 15. coll. 5, 7, 8. Scyl. c. 88. Strab. 12, 545. Menipp. p. 72. Arrian. peripl. p. 15. Anon. peripl. p. 7. Plin. 6, 2. Mela 1, 19. Steph. s. v. — [5]) Xen. An. 5, 5, 22.

[6]) Menipp. p. 73. Arrian. p. 15. Anon. p. 8. Scyl. c. 88. Plin. 6, 2.

Navalia vero (ναύσταθμοι) ad ipsam urbem erant in isthmo collocata [1]). Fabris navalibus Sinopen abundasse tradunt [2]). Universae rei maritimae praefectum fuisse proprium magistratum, τὸν ποντάρχην, ex titulo colligo [3]).

Suo iure igitur Sinopenses alios nummos signasse vides effigie Neptuni, alios delphino, alios insignibus Dioscurorum, alios acrostolio et prora navis [4]). Bonam enim partem divitiarum, quas maximas fuisse Xenophon docet [5]), in navibus et portubus adornandis eos consumsisse apparet. Sed eadem illa rei navalis cura factum est, ut opes et divitias illas adipiscerentur. Solo enim commerciorum flore Sinopenses tantopere auctos esse facile demonstrabo.

Et primum quidem ipsum mare ingentem piscium suppeditabat copiam, quorum in captura et mercatura Sinopenses eximiam operam posuerunt. Salsamentorum maximi momenti fuisse commercium apud Graecos, qui piscibus sale conditis ad victum quotidianum utebantur, vix est quod moneam. Omnia vero maria piscium multitudine et bonitate superabat Pontus Euxinus [6]). Sinopenses igitur ad ipsam urbem πηλαμύδια θαυμαστά exstruxisse Strabo narrat pelamydum capturae inservientia, quarum prima θήρα Trapezusiis et Choeradensibus erat,

---

[1]) Strab. l. c.

[2]) Polyaen. 7, 21, 2.

[3]) C. I. 3. No. 4157.

[4]) Eckhel, Mionnet ll. cc. Inprimis v. Rasche 4, 2, 1101.

[5]) Xen. An. 5, 6, 21. 23.

[6]) Koehler, Τάριχος in Nouv. Mém. de l'Acad. Russ. Sixième série 1, a. 1832.

altera illis, tertia Byzantiis [1]). Maximi illud commercium Sinopenses fecisse pelamydes docent in nummis eorum exaratae [2]). Sed praeter pelamydes etiam mugiles (κεστρεῖς) Sinopicos Dorion et Archestratus laudant [3]). Delphini conspiciuntur in nummis [4]). Salis ad pisces condiendos necessarii magnam partem Olbia, ubi idonea copia ex aqua marina sponte nascebatur [5]), Sinopen mittebat; sed Asia mediterranea quoque salem genuisse traditur.

Fertilis porro ager erat Sinopensium. Nam ut hortos mittam, qui urbem cingebant [6]), universa Sinopitis ingentem producebat olei copiam [7]). In Graeciam quidem oleum illud exportare non poterant, quippe quae ipsa oleis abundaret [8]), sed in Ponti Euxini septentrionales oras, quae regio propter frigus [9]) ea arbore prorsus carebat [10]). Sinopes contra lene erat coelum [11]). Qui vero reputaverit, oleum Graecis fuisse in rebus ad vitae quotidianae usum maxime necessariis, quantum illud

---

[1]) Strab. 7, 320. 12, 545.

[2]) Rasche 4, 2. p. 1110. Eckhel 2, p. 390.

[3]) Athen. 3, 87. 7, 77. — [4]) Rasche 4, 2, p. 1101.

[5]) Hdt. 4, 53. Dio Chrysost. 36. p. 437. — [6]) Strab. 12, 545.

[7]) Strab. 12, 546. 2, 71. 73. Eust. Il. 2, 853.

[8]) Exportabatur in Pontum Euxinum e Graecia oleum teste Polybio 4, 38.

[9]) Theophr. c. p. 3, 8, 1. 2, 3, 6. („διὰ τὸ μετέωρον τῶν ῥιζῶν"). 5, 12, 3. Fabian. ap. Plin. 15, 2.

[10]) Strab. 73. 74. cf. de frigido eius tractus coelo Hdt. 4, 28. Theophr. c. p. 5, 12, 11.

[11]) Strab. 2, 73. 74. cf. de climate seu circulo mundi, sub quo Sinope posita erat, Eratosth. ap. Strab. 2, 131. Plin. 6, 39 p. 397. Tauchn.

commercium fuerit, intelliget. Eadem porro, quae Scythiae, Melitene sola excepta Cappadociae quoque condicio erat, qua in terra oleae omnino non proveniebant [1]).

Lignis dein navalibus Sinopenses affluebant [2]), quae in Graeciam propriam, in Graecas Scythiae colonias, in Bosporanas urbes exportata esse patet. Graeciam enim tantam, quanta opus erat, materiae navalis copiam non genuisse cognitum est; Scythia arboribus prorsus carebat [3]); ad Bosporum ligna nascebantur quidem, sed minus commoda ad naves exstruendas [4]). Atqui Apollonia, Istrus, Tomi, Borysthenes, Chersonesus, Panticapaeum, Theodosia, Phanagoria rebus navalibus operam dabant eximiam.

Minoris faciendae sunt nuces Sinopicae, quamquam et eas exportabant [5]). Per totum enim tractum illum usque ad Colchorum fines nuces uberrime proveniebant. Sed ex ligno montanae nucis Sinopenses pulcherrimas mensas et alia opera tabulata elaborasse traduntur [6]). Idem erat sphendamni Sinopicae usus [7]), cuius arboris lignorum tanta erat bonitas atque pulchritudo [8]), ut opera ex iis elabo-

---

[1]) Strab. 12, 535.

[2]) Strab. 12, 546. Theophr. h. p. 4, 5, 3. 5.

[3]) Hdt. 4, 19. 61.

[4]) Theophr. h. p. 4, 5, 3. — [5]) Athen. 2, 43.

[6]) Strab. 12. 546. Eust. Per. 773. cf. Schneider ind. Theophr. s. v.

[7]) Strab. 12, 546. Eust. Per. 773. Plin. 12, 31.

[8]) Sphendamnum montanam s. *ζυγίαν*, qualis erat Sinopica, Theophrastus esse dicit *ξανθὴν*, *εὔχρουν*, *οὔλην*, *στερεάν*, *πυκνοτάτην*. cf. h. p. 3, 3, 1. 3, 11, 1. 2. 5, 3, 3. 3, 6, 1. 5, 1, 2. 4. 5, 3, 3. 5, 7, 6. Aristoph. Acharn. 180. Schol. Eust. Od. 1, 111.

rata citreis (*θυΐναις*) tantum veteres posthaberent [1]). Omnino Theophrastus ex sphendamno [2]) fieri dicit *τὰ πολυτελῆ τῶν ἔργων*, in quibus lecti et mensae primum videntur locum tenuisse [3]). Quo ex genere fabricarum Sinopenses admodum magnum lucrum fecisse vel inde apparet, quod praeter Sinopen, quod sciam, in Macedonia tantum, circa Stagiram et Olympum montem, acerni operis fabricae Graecis erant [4]). Gallia enim Romanorum demum tempore acerna ligna misit [5]).

Eximiae etiam ferri Sinopensibus erant fabricae, siquidem *στόμωμα Σινωπικόν* a veteribus summa laude celebratur [6]). Ferrum illud non in ipso Sinopensium agro effodiebatur, opinor, sed in terra Chalybum, gentis circa Cotyora Sinopensium coloniam habitantis. Fabricatio autem non minus Sinopae quam apud illos fiebat.

Omnino cuiusvis generis eam urbem fabricis fuisse refertam vel ex iis apparet, quae de aedificiorum, portuum, navium, murorum splendore traduntur. At-

---

Minoris pretii erant ligna reliquorum duorum sphendamni generum, *τῆς κλινοτρόχου* et *τῆς γλείνου*, quae sunt *λευκὰ καὶ εὐινότερα* (Theophr. h. p. 3, 11, 1. 2.). Omnino enim arbores in montibus natae *τῇ χρείᾳ τῶν ξύλων* praestant campestribus (Theophr. h. p. 3, 3, 2.).

[1]) Plin. 16, 26. cf. Cicer. Verrin. 4, 17. Billerb. fl. cl. p. 234.

[2]) Theophr. h. p. 3, 11, 1. 2.

[3]) De lectis v. Theophr. h. p. 5, 7, 6. Pollux 10, 35. de mensis Strab. et Eust. ll. cc. Cratinus ap. Athen. 2, 32. Horat. Sat. 2, 8, 10. Martial. 14, 90.

[4]) Theophr. h. p. 3, 3, 8. 3, 11, 1. — [5]) Plin. 16, 26.

[6]) Daimach. Poliorcet. ap. Steph. *Λακεδαίμων*. Steph. *Σινώπη* collatis quae infra cap. 3. dicam. Eust. Il. 2, 581.

que disertum eius rei testimonium legitur apud Polyaenum, qui *ἀρχιτεκτόνων, τεχνιτῶν, τεκτόνων, ναυπηγῶν* Sinopensibus multitudinem fuisse narrat [1]). *Χαλκοτύπου* mentio etiam in titulo fit [2]).

Iam vero adumbranda sunt commercia Sinopensium cum gentibus Asiae mediterraneis facta, Paphlagones dico, Galatas, Phryges, Cappadoces. Ita enim in media Ponti ora meridionali Sinope sita erat, ut vix alium sciam locum aeque commodum commercio faciendo rerum ex illis regionibus exportandarum vel in eas importandarum.

Qui principatum tenebant Paphlagoniae interdum Sinopenses tributarios sibi reddere frustra conati sunt [3]); plerumque autem hospitio eos et amicitia coniunctos fuisse cum illis apparet, per quos universum Paphlagoniae commercium maritimum fieri necesse erat [4]). Xenophontis tempore, quo Hecatonymus Sinopensis Corylae Paphlagonum principis

---

[1]) Polyaen. 7, 21, 2. cf. etiam Diog. Laert. 6, 20.

[2]) C. I. 3, no. 4158.

[3]) Cf. Xen. An. 5, 5, 22. 23. Aen. Tact. 40. Polyaen. 7, 21, 2. 5. Polyb. 4, 56. Quae intercesserint rationes Sinopensibus cum Croeso, qui Paphlagoniam sibi subiecit (Hdt. 1, 28.), nescio. Persarum regis auctoritatem satrapae vel principes Paphlagoniae nihili fere faciebant, ita ut prorsus sui iuris essent (Xen. An. 5, 6, 8.). Sinopenses vero Xerxis classi naves addidisse Diodor. 11, 3. videtur docere. Post Alexandrum, cui Paphlagones sponte se dederunt (Arrian. 2, 4.), Eumeni ea terra data est (Diod. 18, 3.). Tum Paphlagoniae reges exstiterunt proprii. Dein Ponti reges eam Paphlagoniae partem, in qua Sinope sita erat, sibi subiecerunt, Pharnaces ipsam Sinopen.

[4]) Nam Paphlagoniae tantum non omnia emporia maritima in ditione Sinopensium erant.

proxenus erat [1]), Sinopensium mercatores (*ἔμποροι*), per Paphlagoniam itinera faciebant [2]), ita ut eius regionis accuratissimam illi notitiam habere viderentur [3]). Romanorum tempore Gangris, quae urbs caput Paphlagoniae erat, Sinopen magna via ducebat [4]). Arte facta mercatoribus exportanda non praebuisse consertaneum est Paphlagones, quorum ingenium ita comparatum fuit, ut Luciano non solum *παχεῖς, μωροί, ἠλίθιοι, ἀπαίδευτοι* esse dicantur, sed etiam *μόνῃ τῇ μορφῇ μὴ οὐχὶ πρόβατα εἶνα διαφέροντες* [5]). Sed ea ipsa ingenii indoles effecit, ut Paphlagonum servorum maximus fuerit usus [6]) apud Graecos. In mercibus igitur Sinopen exportatis primum locum tenebant servi. Praeterea castaneas et amygdala e Paphlagonia in Graeciam devecta esse tradunt [7]). Prope Pimolisa sandaracae metalla erant uberrima [8]). Denique Paphlagonia praeter caprarum greges [9]) optimos equos quoque alebat et mulos [10]), quibus mercatoribus certe opus erat ad merces e mediterraneis regionibus deportandas.

---

[1]) Xen. An. 5, 6, 11. cf. 5, 5, 12.

[2]) Cf. Xen. An. 5, 6, 19. 21.

[3]) Id. 5, 6, 1. 6.

[4]) Tab. Peut. cf. Cellar. 2, 318.

[5]) Lucian. Alex. 9. 15. 17. 45. Const. Porph. Them. 1, 7. Elaborabant tamen Paphlagones pocula cornea, Xen. An. 5, 9, 4.

[6]) Arist. Eqq. Appian. Mithr. 78. Strab. 7, 304. Steph. *Τίβιον*. cf. Lucian. Philopseud. 30.

[7]) Hermipp. ap. Athen. 1, 49. ubi quae vocantur *Διὸς βάλανοι* castaneae sunt. Salm. Solin. p. 421. sqq. quem inspicere debebat Billerbeck. fl. cl. p. 232.

[8]) Strab. 12, 562. Salm. l. c. p. 723 sqq. — [9]) Steph. *Γάγγρα*.

[10]) Equi test. Xen. An. 5, 6, 8. 9, 2. de mulis v. Il. 2, 851.

Neque enim Paphlagoniam solam Sinopenses adibant, sed etiam Galatiam, cuius regionis nobilissima emporia Gordium, Pessinus, Ancyra, Tavium erant [1]). Deportabantur eo Phrygiae quoque merces. Sinopenses inprimis Gordium adiisse dicuntur [2]). Commercio praebebant Galatia et Phrygia praestantissimas lanas, coccum tinctorium, vinum, salem, marmor, buxum, gemmas, inprimis achaten, et iaspidem, denique servorum multitudinem [3]). Mentionem faciunt nonnulli scriptores servi Sinopici, cui Manes nomen erat, id quod Phrygem eum fuisse docet [4]).

Commercia Phrygum cum Graecia propria fiebant per Cianos [5]), Ephesios, Milesios; Sinopen vero tantum Phrygiarum mercium deportatum est, quantum Sinopenses ipsi consumebant et si quid ad reliquos Graeos Ponticos mittebatur.

---

[1]) Gordium: Liv. 38, 18. Pessinus: Strab. 12, 567. Ancyra: Paus. 1, 4, 5. Liv. 38, 24. Per Ancyram via magna ducebat e Syria Byzantium (Itinerr. cf. Tzetz. Chill. 1, 131.). — Tavium: Strab. 12, 567. Etiam per hanc urbem magnae viae undique ducebant. (Itinerarr.) — [2]) Liv. 38, 18.

[3]) Lana: Plin. 29, 9. 8, 73. 74. Strab. 12, 578. 568. Arist. Avv. 493. Hdt. 5, 49. — de cocco vid. Salm. Plinn. excc. p. 192. b. G. sqq. — vinum: Steph. *Εὐχαρπία.* Il. *Γ*, 184. — sal.: Strab. 12, 568. Hdt. 7, 30. — marmor.: Strabo 12, 577. Steph. *Δοκίμειον. Ἀλάβαστρα.* Paus. 1, 18, 7. Stat. silvv. 1, 5, 36. — buxus: Plin. 16, 28. Ovid. ex Ponto 1, 1, 45. — gemmae: Plin. 37, 46. — achates: Plin. 37, 54. — iaspis: Plin. 37, 37. — servi: Hermipp. ap. Athen. 1, 49.

[4]) Aelian. V. H. 13, 25. Diog. Laert. 6, 55. Senec. de tranq. animi 8, 5. cf. Strab. 7, 304. Universis de commerciis Phrygiae, de quibus plura congerere nolui, videas Cicer. Manil. 6.

[5]) Plin. 5, 40. —

Cappadocia inprimis rubricam illam praebebat, cui Sinopidis seu Sinopicae milti nomen inditum est, quia apud Sinopenses eius commercium erat [1]. Utebantur ea pictores, architectones ad ligna coloranda, medici, inprimis fabri navium. Namque etiam sexto a. Chr. n. saeculo omnes naves rubrica tingebantur [2]. Ceterum cave ne ut Strabo rubricam Sinopicam cum minio confundas [3].

Praeterea servos illos, quos Graeci Syros vocabant, natione Cappadoces fuisse nemo non concedet. Hanc enim gentem non Cappadocum, sed Syrorum, Leucosyrorum, Assyriorum nominibus illi vocabant [4]. In servitium autem natos esse veteres censebant Syros s. Cappadoces, genus quod patientissumum est hominum Plauto dictos [5], qui gentem sine rege vivere posse negarent [6].

Porro equi, muli, oves Cappadocum laudantur [7]. Vinum Melitene gignebat [8], herbas, quarum in medi-

---

[1]) Theophr. Cap. 52. Strab. 12, 540. 3, 144. Plin. 35, 12. — 13, 17. 24. 32. Vitruv. 7, 7. Cels. 5, 6. 6, 6. Hesych. *μίλτος*. Zosim. ap. Salm. exce. Plinn. p. 813. Eust. Per. 1166. —

[2]) Hdt. 3, 58. cf. Plin. 33, 38.

[3]) cf. Groskurdt. ad Strab. l. c. Nimirum nonnulli non solum rubricam sed etiam cinnabari *μίλτον* vocabant, minii vero nomine non solum cinnabari sed etiam rubricam. —

[4]) V. c. 7. cf. Strab. 7, 304. — Romani Capadoces dicebant eos servos. Hor. Epp. 1, 6, 39. Cic. post. red. in Sen. §. 14. Persii Sat. 6, 11. Martial. 6, 77. 10, 76. cfr. Lucian. Asin. 36.

[5]) Plaut. Trinum. 2, 4, 141. cf. Becker Gallus. I. p. 113. 218.

[6]) Iustin 38, 2. Strab. 12, 540. —

[7]) Strab. 11, 525. de equis cf. Eust. Per. 970. Solin. c. 40. cum nott. Salm. —

[8]) Strab. 12, 536. —

cina usus erat, universus ille tractus [1]). Etiam mel exportabatur [2]). Salis fodinae in provincia Ximene ad Halyn erant [3]), in Culupene et Camisene [4]). Iaspidem, alabastriten, lapidem specularem, crystallum, onychiten in Cappadocia nasci Strabo et Plinius auctores sunt [5]).

Urbes ante Romanorum tempora Cappadocia non habebat [6]). Commercia fiebant ad templa illa vetusta, hierodulis referta, adorantium commeatu celebrata, quibus Cappadocia consita erat. Maxima fuisse videntur Comanis, Venasis, Castabalis [7]). Ponticorum Graecorum frequenti commercio factum est, ut Anaitis dea Artemis Taurica esse diceretur, cuius cultus Comanis et Castabalis ab Oreste institutus esset [8]). Simili ratione Herculem rapto a nymphis Cianis Hyla e Bithynia in Cappadociam dicebant pervenisse [9]). Heroes illi Graecis in Cappadociam quasi viam aperuisse et munivisse videbantur. —

Caput Cappadociae Mazaca vicus erat in quadrivio quodammodo situs. Duae enim viae magnae per eum ducebant, altera ex Ionia in Syriam et Baby-

---

[1]) Plin. 27, 31. —

[2]) Aristot. mir. ausc. 17. —

[3]) Str. 12, 546. 561. cf. Eust. Per. 784.

[4]) Str. 12, 560.

[5]) Strab. 12, 540. Plin. 36, 12. 45. 37, 37.

[6]) Str. 12, 537.

[7]) Strab. 12, 535. Hirt. B. A. 66. Dio Cass. 35, 11. Appian. Mithr. 114, 121. Eust. Per. 694. — Strab. 12, 537. — cf. Heeren Id. 1, 3. init. Huellmann, Handelsgesch. p. 38.

[8]) Strab. l. c. cf. Arrian. peripl. p. 6.

[9]) Cephalion. ap. Euseb. chron. 1, 15.

loniam [1]), altera ad sinum Issicum [2]). Et haec quidem per Amaseam ad Mazaca ducebat [3]), ubi ex monte Argaeo uno conspectu Pontum Euxinum et mare Mediterraneum prospiciebant [4]), inde per Cybistra, Tyana ad Issici sinus emporia [5]). Hac igitur via Sinopenses Cyprias, Phoenicias, Aegyptias merces accipiebant, altera illa Babylonias.

Importabant vero Sinopenses in Paphlagoniam, Galatiam, Cappadociam, ut alia taceam, inprimis res arte factas et quae commercio maritimo ipsi acceperant.

Oram maritimam Ponti, quae orientem versus ab Halye vergit, praeter Leucosyros Heptacometae tenebant, Mossynoeci, Macrocephali, Becchiri, Byzeres, Drilae, alii, quorum omnium mores inconditi fuisse dicuntur [6]). Ferocissimi erant Heptacometae et Drilae [7]). Nihilo secius etiam hanc oram adibant Sinopenses, quippe quae commercio praeberet laetam materiam. Ut igitur loca essent, ubi cum barbaris gentibus tuto convenirent mercesque asservarent, donec Sinopen eas deportare liceret, castella illi et

---

[1]) Strab. 14, 663. Plin. 2, 112.

[2]) Hdt. 2, 34. 1, 72. Scyl. c. 102. cf. Apollodor. ap. Strab. 14, 667. Eratosth. ap. Strab. 2, 68. cf. 14, 664. 678. Plin. 6, 2. Scymn. frgm. 185. Anon. peripl. p. 9. Intt. Herodot. 1, 72. De la Barre in Mém. de l'acad. Paris. tom. 8. — de la Nauze ibid. tom. 36.

[3]) Certe in tab. Peuting. magna via est inter Sinopen et Amaseam. cf. Forbig. A. G. p. 436.

[4]) Strab. 12, 538.

[5]) Strab. 12, 539. cf. Scyl. l. c.

[6]) Mela 1, 19. Xen. An. 5, 4, 34. 17. Apoll. Rh. 2, 1015. Valer. Flacc. 4, 614. Ammian. 22, 8, 21.

[7]) Strab. 12, 548. 549. Xen. An. 5, 2, 1.

emporia munita exstruxerunt, ubicunque ad appellendas naves aptum erat littus. Hominum dein multitudine negotiorum faciendorum causa commeante urbes inde insignes ortae sunt, coloniae Sinopensium, quarum antiquissimam Trapezuntem fuisse supra iam monui. Reliquae, maximam partem et ipsae admodum vetustae urbes, exceptis Odinio et Becchiriade inter illam et ipsam Sinopen sitae erant: Choerades cum insula Marti sacra, Amenea, Cerasus, Iasonea, Cotyora, Themiscyra, Chadisia, Lycastus, aliae, quas enumerare inutile est [1]. Praeterea ingentem portuum copiam per eam oram fuisse periplis edocemur. Egregii erant *Ναύσταθμος*, *Ἀγκών* [2], *Λαμυρών*, ad promontorium Heraclium situs [3], *Οἰνόη*, *Ἀμελητός*, *Βοών* ad Genetaeam linguam exstructus, ubi templum Iovis *Εὐξείνε* erat [4], *Ζεφύριον* [5], *Τρίπολις*, *Κορδύλη* [6], denique orientem versus a Trapezunte *Ὕσσου* s. *Ψωρῶν λιμήν* [7]. Quanti igitur momenti fuerint commercia in hac ora facta, vel ex illa emporiorum multitudine perspicitur. Paulo accuratiorem habemus no-

[1]) Scyl. c. 82 sqq. — De Choeradibus cf. Hecat. fr. 193; de Amenea (Stamenea?) eund. 196; de Themiscyra Hegiam Troez. ap. Paus. 1, 2, 1. Hdt. 4, 86. Diod. 2, 45. Schol. Apoll. 2, 373; de Chadisia Hecat. fr. 350. 351; de Lycasto Schol. Apoll. 2, 373. Plin. 6, 3. Mela 1, 19. Eust. Il. 2, 647.

[2]) Apoll. 2, 369. Valer. Flacc. 4, 609.

[3]) Schol. Apoll. 2, 365. Et. M. *λιμενήοχος ἄκρα*. Strab. 12, 548.

[4]) Apoll. Rh. 2, 378. Schol. 2, 1009. Valer. Flacc. 5, 148. Steph. *Γενήτης*. Scyl. 87. Strab. 12, 548.

[5]) Scyl. c. 85.

[6]) Plin. 6, 4.

[7]) Scyl. c. 84. — de universis portubus illis v. periplos Arriani et Anonymi.

titiam Cerasuntis, Cotyori, Trapezuntis, quas urbes Xenophon adiit. Cerasuntiis familiaritas intercedebat cum vicinis gentibus [1]. Cotyoritae inprimis, in finibus Tibarenorum collocati, gentis mansuetae [2], commercium faciebant ferri Chalybici. Portus iis erat amplus [3], urbs munita [4], in agro exstructa *χωρία* nonnulla. Trapezus, in extrema Ponti ora sita [5], Romanorum et Byzantinorum demum temporibus maxime illustris erat civitas [6], quanquam Xenophontis iam aetate non ignobilis. Certe iam tum, etsi non classem, naves tamen publicas habebant [7]. Multas onerarias naves Trapezuntem pervenisse Xenophon scribit [8]. Agrum idoneum (*τὴν Τραπεζουσίαν*) iis fuisse tradunt [9]. Gentes barbaras, quae urbem cingebant, Trapezuntii sibi conciliaverant; quin etiam Mossynoecorum proxenus Trapezuntius Timesitheus Xenophontis aetate erat [10]. Drilae, gens montana, quae Trapezuntios summo-

---

[1]) Xen. an. 5, 7, 13. 17.

[2]) Mela 1, 19. Scymn. frgm. 177. Ephor. ap. Steph. *Τιβαρηνία*.

[3]) Cf. Xen. An. 5, 5, 3. cum 5, 9, 14. 5, 6, 35. 5, 7, 8.

[4]) Id. 5, 6. 19. — De agro cf. eund. 5, 5, 6.

[5]) Tacit. Hist. 3, 47. — Strabo 11, 497.

[6]) Plin. 6, 4. Mela 1, 19. Arrian. peripl. 1, 11, 17. Ptolem. 8, 17, 35, Ammian. 22, 8, 17. Eust. Per. 687. Anonym. peripl. 1. p. 13. Zosim. 1, 33, Procop. de aedif. 3, 7. Notit. Imp. c. 27. Const. Porph. them. 1, 8. Phrantz. 1, 32. 3, 11. 4, 19.

[7]) An. 5, 1, 15. 16. Diod. 14, 30.

[8]) An. 5, 1, 11. 16. 5, 3, 1.

[9]) Strab. 12, 547. Eust. Per. 687. Steph. *Ζυγοί*. *Φαρνακία*, *Ἑρμώνασσα* Anon. 1, p. 12.

[10]) An. 5, 2, 2. 5, 4, 2. 4.

pere vexabat [1]), impedire tamen mercatores non potuerunt, quominus regiones vicinas adirent [2]). Exportata esse Trapezunte perspicuum est ligna navalia, salsamenta, ceram, mel, cuius usus praecipuus in medicina erat [3]). Praeterea vero Armeniorum emporium maritimum Trapezus fuit [4]). Commercia fiebant per agmina mercatorum una commeantium [5]), qui ex illorum terra Sandycem (*τὸ Ἀρμένιον χρῶμα*), aurum, salem, nitrum, cotes amethystos, lanam, coria, equos, praeterea vero et natura productas et arte factas merces deportabant, quas Armenii ipsi ex superiore Asia acceperant [6]). Inde ditissimi redditi sunt Armenii [7]). Plerumque

---

[1]) An. 5, 2, 1. Steph. *Δρίλαι*.

[2]) An. 5, 5, 15.

[3]) Ligna navalia: Tacit. Strab. l. c. cf. Xen. An. 4, 8, 2. salsamenta: Strab. 7, 320. — cera: Plin. 21, 45. — mel: Xen. An. 4, 8, 20. Diod. 14, 30. Aristot. mirabb. 18. Steph. *Τραπεζοῦς*. Aelian. h. animall. 5, 42. Plin. 21, 45.

[4]) Docet situs locorum. cf. Strab. 12, 548. Eust. Per. 694. Xen. An. 4, 6. 7. 8. Tacit. hist. 13, 39.

[5]) Strab. 11, 528. — cf. Xen. An. 3, 5, 17. Ritter 2. p. 772 sqq.

[6]) Sandyx: Strab. 11, 529. Plin. 35, 12. 28. Salm. Solin. p. 810. B. — 814. — aurum: Strab. 11, 529. — sal: Strabo 11, 529. — nitrum: Strab. 11, 529. — cotes (vel similes lapides, quibus gemmae ferro resistentes scalpebantur, limabantur, poliebantur, perforabantur): Theophr. Cap. 56. Steph. *Ἀρμενία*. Eust. Per. 694. Plin. 36, 11. 47. cf. Salm. excc. p. 774 a. — amethysti: Plin. 37, 40. — lana: Hdt. 5, 49. Eust. Per. 694. — coria: Hdt. 5, 49. — equi: Strabo 11, 529. 528. 525. De Babyloniis et Indicis mercibus quas Armenii exportabant cf. Hdt. 1, 194.

[7]) Strab. 11, 530. Xen. An. 4, 7, 19. cf. Ritter 2, 764 sqq.

illi, qui toti in commerciis erant faciundis [1]), merces suas ipsi exportabant [2]); sed Graecos quoque solitos fuisse Armeniam adire fabulae docent, quibus iter in eam Iason fecisse dicebatur. Templa eius per totam Armeniam exstructa erant [3]). Aliud emporium Armeniorum Comana Pontica erant [4]), meridiem versus a Themiscyra ad Iridem fluvium sita, ubi celebratum fuit templum Anaitidis deae [5]), quae res Trapezuntiis detrimento non fuisse videtur, siquidem omni tempore apud eos quoque magna commercia facta sunt [6]).

Sed haec de Trapezuntiis. Reliquae, quas dixi, Sinopensium coloniae commercium faciebant rerum, quae in ipsa Ponti ora nascebantur. Cotyoritas et Choeradenses inprimis ferrum Chalybicum exportasse inde colligo, quod Chalybes iis potissimum vicini erant. Ex quo commercio maximum lucrum eos fecisse, quum illius ferri summa fuerit laus apud Graecos atque multus usus, neminem fugit [7]).

---

[1]) Cf. quae Strab. 11, 532 et Eust. Perieg. 846 narrant cum Hdt. 1, 199. — [2]) Hdt. 1, 194. Strab. 12, 559.

[3]) Strab. 11, 530. 503. 526. 1, 45. 48. Eust. Per. 694. Iustin. 42, 2. — [4]) Strab. 12, 559.

[5]) Strab. 12, 547. 558. 560. Cic. Manil. 9. Appian. Mithr. 64.

[6]) Eust. Per. 687. ἡ Τραπεζοῦς, κτίσμα Σινωπέων, μέγα ἐμπόριον. Xen. An. 5, 1, 11. 16. 5, 3, 1. Tac. Hist. 13, 39.

[7]) Aesch. Prom. 714. (Χάλυβες σιδηροτέκτονες). Cratin. ap. Polluc. 7, 107. (Χαλυβικὸν στόμωμα). 10, 186. Xen. An. 5, 5, 1. Eudox. ap. Steph. Χάλυβες. Aristot. mirr. 48. Daimach. ap. Steph. Λακεδαίμων. Eust. Il. 2, 581. Callimach. ap. Sch. Apoll. Rh. 1, 1323. 2, 375. Catull. com. Ber. 48. Apoll Rh. 2, 141. 1006. Schol. Valer. Fl. 4, 611. 5, 169. Lycophr. 1109. et ap. Steph. Χάλυβες. Eust. Per. 767. Dionys. Per. 768. Priscian. 744. Virg.

In eadem regione argenti quoque metalla fuisse et veteres tradunt et recentiores, qui eam adierunt, testantur et nomen vici cuiusdam *'Αργύρια* indicat [1]). Apud Mossynoecos aeris fodinae erant [2]). Praeterea in Ponto auripigmentum nascebatur [3]). Ad Thermodontem iaspidem effodiebant et crystallum [4]), chrysolitos in terra Tibarenorum [5]), cuius emporium Cotyora erant. A Sapiris populo sapphirus lapis nomen duxit [6]).

Fertilissimum solum erat alluvione natum circa ostia Thermodontis et Iridis [7]). Themiscyrae campus, *Δοίαντος πεδίον* vocatus [8]), quum alios varii generis fructus [9]), tum nuces illas gignebat, quas Ponticarum nomine saepius veteres scriptores appellant [10]). Castaneas inprimis Mossynoecorum terra

---

G. I, 56. Strab. 12, 549. Plin. 7, 5. 7. Arrian. ap. Eust. Per. 767. Ammian. 22, 8, 21. Schol. Aeschyl. Pr. 133. Eust. Per. 476. 767. Tzetz. Chill. χ, 523.

1) Il. 2, 856. Strab. 12, 549. Steph. *'Αλύβη. Χάλυβες.* Eust. Per. 767. Mueller, Samml. Russ. Gesch. 2, p. 14. Porter. Trav. 2. p. 696. Hamilton, research. 1 p. 259. Arrian. peripl. p. 17. Anon. p. 13. — De auro apud Chalybes effosso loquitur Aristot. mirr. 26. — 2) Aristot. mirr. 62.

3) Vitruv. 7, 7. cf. Plin. 33, 22. 35, 31. Salm. exc. p. 812.

4) Dionys. Per. 781. Priscian. 752. — De crystallo Plin. 37, 9. 10. 33, 2. Solin. 15. Salm. p. 143. 768 b; de iaspide Plin. 37, 37. Salm. l. c. p. 92.

5) Plin. 37, 42. Salm. l. c. p. 290. a. A. Plin. 37, 43. 46. 66. Solin. 13. Salm. exc. p. 132, a. — 6) Schol. Apoll. 2, 395.

7) Dionys. Per. 772. Eust. Strab. 1, 52. Schol. Apoll. 2, 964.

8) Apoll. Rh. 2, 988. Steph. *Δοίαντος π. 'Αχμόνια.* Hecat. fr. 350. Plin. 6, 3. Mela 1, 19.

9) Strab. 12, 547. 548.

10) Ctes. Ind. ap. Phot. cod. 72. p. 47. Bekk., Athen. 2. cp. 41. 42. Plin. 15, 24. Macrob. Sat. 2, 14. Hesych. *Διὸς βάλανοι.*

praebebat [1]); ibidem et in Phanaroea vinum proveniebat [2]), quod in oras Ponti septentrionales procul dubio exportatum est, ubi propter frigus vites non nascebantur [3]). Phanaroea oleo quoque abundabat [4]). Cerasus nomen accepit a cerasorum multitudine [5]), ex cuius arboris lignis cistae fiebant [6]). Ex acaciae Ponticae ligno opera speciosa elaborabant [7]). Materiem navalem exportabant e regione Choeradum, Cerasuntis, Cotyori [8]). Mellis copiam suppeditabant Mossynoeci, Heptacometae, Themiscyraei [9]). Bovum copiam alebant campi Thermodontis et Iridis pariter atque prata, quae Stephanen lacum cingunt [10]). Coriis etiam Mossynoeci affluebant [11]). Caprae Ponticae laudantur [12]); ovibus abundabant Tibareni [13]). Lana exportabatur ex Gazelonitide, quae inter Halyn et Amisum sita est [14]).

Salm. l. c. 421 b, B.—430 a. quem inspexisset vellem Bitterbeck flor. cl. p. 232. — Est nux Avellana.

[1]) Xen. A. 5, 4, 28, 32. Eust. Per. 766. Strab. 12, 549.

[2]) Xen. A. 5, 4, 29. Strab. 12, 548. 556. Eust. Per. 766. cf. Anab. 5, 9, 15. — [3]) Cf. c. 3.

[4]) Strabo 12, 556. 2, 73.

[5]) Athen. 2, 35. Plin. 15, 30. Ammian. 22, 8, 16. Schol. Arist. Plut. 586. Steph. Συκαί. Eust. Il. 2, 853. ad Per. 451.

[6]) Theophr. h. p. 3, 13, 1.

[7]) Vellei. Paterc. 2, 56. cf. Billerbeck. Flor. cl. p. 246.

[8]) Strab. 12, 549. Schol. Apoll. 2, 379.

[9]) Aristot. H. animall. 5, 19, 8. Strab. 12, 549. Appian. Mithr. 78. Paus. I, 32, 1. intt —

[10]) Strab. 12, 547. 560. Appian. Mithr. 78. —

[11]) Vide, quae de eorum armis narrat Xen. An. 5, 4, 12. 13.

[12]) Appian. Mithr. 78 —

[13]) Dionys. Per. 767. Eust. Priscian. 743. —

[14]) Strab. 12, 546. —

Salsamenta inprimis Choerades dabant [1]. Capiebantur praecipue delphini et pelamydes.

Procul dubio soli Sinopenses, donec illae coloniae prorsus ex eorum voluntate pendebant, merces, quas modo enumeravimus, exportabant. Navibus eas Sinopen devehebant vel eam ob rem, quia viae terrestres pessimae erant eaeque infestae latrociniis [2]. Sinope in Graeciam, in mediterraneas Asiae regiones, in reliqua Ponti emporia merces misit. Cotyoris, quae fere medium tenebant Sinopen inter et Trapezuntem, Sinopen navibus duorum dierum et unius noctis erat iter [3]. Postquam autem coloniae illae, quae etiam Xenophontis aetate in Sinopensium ditione erant, sui iuris factae sunt, eas ipsas commercia ista usurpasse consentaneum est; quo facto procul dubio praeter Sinopenses etiam alii mercatores eas adibant.

Inter emporia Sinopensium occidentem versus ab urbe sita primum locum obtinebat Cytorus [4], ubi commercium buxi fiebat, quod circa ipsum oppidum uberrime mascebatur [5]. E buxo enim, ligno

---

[1]) Strab. 12, 549. cf. 7, 320 ubi quae vocatur Pharnacia urbs est Choerades. Eust. Per. 766. Xen. A. 5, 4, 28.

[2]) Xen. An. 5, 1, 13. cf. 14. 5, 3, 1. — Strab. 12, 549.

[3]) Xen. An. 5, 9, 14.

[4]) Strab. 12, 544. *Τὸ δὲ Κύτωρον ἐμπορεῖον ἦν ποτὲ Σινωπέων.* Eust. Il. 2, 853.

[5]) Theophr. h. p. 3, 15, 5. Strab. 12, 544. Schol. Apoll. Rh. 2, 942. Valer. Fl. 5, 16. Catull. 4, 11. Ovid. Met. 6, 132. Virg. G. 2, 437. Plin. 16, 28. Steph. *Ἄμαστρις.* Etym. M. *Κρῶμνα.* Eust. Il. 2, 853. (*πυξοφόρος ἡ Κύτωρος περιᾴδεται*) 1, 206. (*γλαῦκα Ἀθήναζε-ὅμοιον τῷ πύξον ἐς Κύτωρον ἤγαγες ἢ ἰχθὺν εἰς Ἑλλήσποντον.*)

praestantissimo [1]), supellectilem multam Graeci elaborabant [2]). Reliqua huius tractus emporia et portus, veluti Aboniticlios, Aegineten, Cinolin, Anticinolin, Stephanen [3]), Potamos, qui vicus Armenae vicinus erat, verbo attigisse sufficiat. Insignis erat Carambis, statio navium quae inter Olbiam et Sinopen itinera faciebant [4]).

Merces e mediterraneis Asiae regionibus et e coloniis Sinopen devectas praecipue in oras Ponti

---

[1]) Theophr. h. p. 5, 4, 2. 5, 4, 5. 5, 5, 2. 1, 5, 4. 5, 3, 1. 10, 20, 4. Plin. 16, 78. Eust. Il. 13, 134. 24, 269. Buxum, quod neque cariem sentiebat, neque a tineis perforabatur, *εὔχρουν καὶ πυκνότατον* erat lignum, a Theophrasto saepius cum ebeno comparatum. — De buxeo colore v. Plin. 12, 15. Schol. Arist. Vesp. 1399. Nub. 504. Eust. Il. 10, 343. 24, 269. cett.

[2]) Theophr. h. p. 5, 7, 7. dicit *ἔνια*, quia neque ad domos neque ad naves exstruendas, de quibus paullo ante egit, utile erat buxum, ex quo supellex tantum fiebat. Il 24, 269. (*πύξινον ζυγόν*). Platon. ap. Pollac. 10, 34. (*κλίνη ἀμφίκολλος πυξίνη*). Cratin. ib. (*κλίνη παράπυξος*). Leonid. in Anth. Pal. 6, 211. (*πύξινος κτείς*). Pol. 4, 74. (*π. αὐλός*). Leonid. in Anth. P. 6, 309. (*π. πλατάγη*). Poll. 10, 168. (*πυξίς*, crepundia). Poll. 6, 98. (*πυξίς, κύλιχνος*). Schol. Arist. Eqq. 902. Suid. *κυλίχνιον* (*πυξίδιον, κυλίχνιον*). Etym. M. s. v. *πυξίς* (*τεῦχος ἰατρικόν*). cf. Lucian. Philopseud. 21. Asin. 12. 14. Archipp. ap. Poll. 10, 169 (*π. ἁλία*). Leonid. in Anth. Pal. 5, 206. (*π. αὐλοδόκη*). Theocr. Id. 24, 108. (*π. φόρμιγξ*). Theophr. h. p. 5, 3, 7. (*π. ἀγάλματα*). id. 5, 7, 8. (*π. σφυρία καὶ τερέτρια*). Anaxandrid. ap. Poll. 10, 59. (*πυξίον, σκεῦος ζωγράφου*). cf. Poll. 10, 163. Aristoph. ap. Poll. 4, 18. (*πυξίον*, tabella). Eust. Il. 3, 336. (*πυξίον, πίναξ*). cf. Od. 18, 358. Alios locos congesserunt Billerbeck. flor. class. p. 229. et Krause in Pauly Realencycl. s. v. buxum, quibus quos equidem in medium protuli addas. — [3]) Hecat. ap. Steph. s. v. frgm. 201.

[4]) Scyl. c. 89. Menipsus iam eius mentionem non facit. Plinius 6, 2. eam dirutam esse dicit.

septentrionales exportatas esse sponte intelligitur. Eae enim regiones ligna navalia, oleum, vinum, metalla, alia supra enumerata non gignebant, quae res et ex ipsa Graecia et e Ponti meridionali ora eo importabantur. Praecipuam huius transmarini Sinopensium commercii sedem Olbiam fuisse videmus ex decreto in honorem Theoclis Olbiopolitae dato, cui illi ut aliae Graecae civitates auream coronam decreverunt, propterea quod multam curam habuisset mercatorum Olbiae negotia facientium [1]). Alio titulo Olbiano mentio facta est Theogiti Sinopensium astynomi [2]). Nummi Sinopensium reperiuntur in ruderibus Olbiae [3]).

Navigatio fiebat Sinope Carambin, inde per altum mare ad promontorium Criumetopon [4]), inde iuxta littus Olbiam. —

Sed cum Bosporanis quoque Sinopenses commercia fecisse vel inde colligendum est, quod Eumelus, Bospori rex, in eos beneficia cumulavit, ut Leuco in Athenienses, uterque commerciorum rationibus adductus [5]). Postea Bosporani Mithridati Sinopensium regi regnum detulerunt.

Inprimis Bata emporium Bosporanorum frequentasse videntur Sinopenses. Certe illud oppidum dici-

---

[1]) C. I. 2, No. 2059. — [2]) C. I. 2, No. 2085 b.

[3]) de Blaremberg, choix de méd. ant. d'Olbiopolis p. 17.

[4]) Dionys. Per. 155. Priscian. 144. Scymn. ap. Anon. 1. p. 6. (qui locus inter frgm. Scymni non receptus est). Strab. 2, 124. cf. 7, 309. Plin. 4, 26. Ammian. 22, 8, 20. cf. Mannert 6, 3, p. 20. Groskurdt ad Strab. l. c.

[5]) Diod. 20, 25. — Bospori accuratam notitiam habebat Theopompus Sinopensis scriptor. Phlegon. mirabb. 19.

tur ex adverso Sinopes situm esse, quamvis non magis ex adverso eius situm sit quam aliae Bosporanorum urbes [1]).

Eas res, quas Scythiae et Bospori emporia praebebant, veluti salsamenta, coria, servos, quorum ingens copia in Graeciam propriam exportabatur [2]), Sinopen maximam partem non devectas esse inde apparet, quod Sinopenses ipsi iis tantopere affluebant, ut non minus quam illi eas venderent. Restabant autem Sinopensibus exportanda ferarum, veluti castorum, lutrarum mustellarum zibellinarum pelles et aurum, quae res ex Scythia Olbiam et Tanain per agmina mercatorum deportabantur [3]). Praeterea cannabis et frumenta, quae circa Olbiam et Bosporum nascebantur, illis utilia esse potuerunt [4]).

Etiam inter Phasidem et Sinopen navigationes factas esse accepimus [5]). Phasianos Indicas merces ab aliis acceptas exportasse traditum est [6]), Colchidem ipsam eximia lina, herbas (φάρμακα), aurum fluviatile praebuisse [7]). Omnino vero Sinopen, quae

---

[1]) Strab. 11, 496. cf. Strab. 2, 125. Hdt. 4, 86. — [2]) Polyb. 4, 38.

[3]) Hdt. 4, 22. 109. Mela 1, 19. — Hdt. 4, 13. 27. 3. 116. Paus. 1, 24, 6. Mela 2, 1. cett. — cf. Heeren, Ideen 1, 2, 265 sqq.

[4]) Hdt. 4, 74. — Hdt. 4, 53. 17. 18. 52. Strab. 7, 311. Demosth. Lept. p. 466. Phormion. p. 917.

[5]) Strab. 11, 498. cf. Huellmann, Gr. Handelsgesch. p. 252.

[6]) Strabo 11, 509. 2, 73. Plin. 6, 19. Heeren, de commerciis Graecorum cum Indd. in comm. soc. Gotting. 11. Huellmann, Gr. Handelsgesch. p. 243. sqq.

[7]) De lino Hdt. 2, 105. Strab. 11, 498. Callim. ap. Schol. Pind. Pyth. 4., 376. fr. 265. Valer. Flac. 6, 225. — de auro Strab. 11, 499. 1, 45. Plin. 6, 12. 33, 15. Appian. Mithr. 103; de herbis Theophr. h. p. 4, 5, 2. 10, 10. 3. Diod. 4, 45. 48. cett.

παρὰ τὸν εἰς Φᾶσιν πλοῦν sita erat [1]), omnes nautae et mercatores frequentabant, qui inter Phasidem et Graeciam propriam vel Ponti emporia occidentem versus a Sinope sita itinera faciebant. — In Graeciam propriam Sinope earum mercium, quas uno vocabulo Ponticas dicunt, plurima genera mittebat, salsamenta, coria, materiam navalem, servos, mel, ceram [2]). E Graecia Sinopen inprimis res arte factas importatas esse verisimile est, maxime vetustioribus temporibus, priusquam Sinopenses ipsi fabricis insignem operam dabant, quin etiam multo post, ut unum proferam exemplum, Sthenis Sinopensibus statuam Autolyci fecit. Reliqua vero, quae Graecia propria in Pontum mittebat, aut ager aut coloniae Sinopensium ipsorum producebant, veluti vinum, oleum, caetera. —

In itinere inter Graeciam et Sinopen navigantibus deversoria et receptacula erant inprimis Carambis, Cytorus, Sesamus, Heraclea, fanum Jovis Urii in ipso Bosporo collocatum, quae loca quantum distent a Sinope, diligenter veteres periplorum auctores et geographi annotaverunt [3]).

---

[1]) Polyb. 4, 56. — [2]) Polyb. 4, 38.

[3]) Sinope distabat a

Carambi 700 stad. Strab. 12, 546. Menipp. 73. cf. Schol. Ap. 2, 945.

Cytoro 1312 stad. = 164 M. P. Plin. 6, 2.

Sesamo 1750 stad. Menipp.

Heraclea 2000 stad. Strab. 2040. Menipp. cf. Xen. an. 5, 10, 1.

Fano Jovis Urii 3500 stad. Strab 3570. Menipp. cf. Menipp. p. 69. Anon 1 p. 1. Arrian. p 25. Annonym. 2, p. 16. Boeckh. C. I. 2. No. 3797.

Postquam ἔποικοι Attici Periclis consilio Sinopen missi sunt, Atheniensium plurimum apud illos valuisse auctoritatem Atticosque inprimis mercatores hanc urbem adiisse consentaneum est [1]); quin etiam theorias Sinopenses in Atticam mittebant [2]). Diogenes fraudis reus navem, qua Athenas fugeret, statim reperit [3]). Athenas sese contulerunt Dionysius, Diodorus, Diphilus Sinopenses [4]). Meretrici cuidam Atticae nomen Sinopes erat, ut alii cuidam Cyrenes [5]).

Postea in Atheniensium locum Sinopensibus suffecti sunt Rhodii, quorum arcta cum illis erat necessitudo [6]).

Sinopenses et ipsi Graeciam adibant. In Graecia mortuus est Theognis Sinopensis, cuius ἐπιτύμβιον Simonides fecit [7]). Athletas Sinopensium Isthmia frequentasse constat [8]). Athenas eos theorias misisse monui. Delii et Delphici Apollinis oracula adire soliti illi erant [9]). Quae Datamis tempore Sinopensibus cum Sestiis erant contentiones, quum hi exigerent nimia vectigalia subortas esse coniicio [10]).

---

[1]) Plut. Pericl. 20. cf. Arist. Vesp. 700. Thuc. 4, 75. Res videtur gesta esse Ol. 83, 4. cf. c. 4.

[2]) Paus 1, 31, 2. — [3]) Diog. Laert. vit. Diog. init.

[4]) Inde Diphilum Atheniensem vocat auct. lex. ab Hermanno ed. p. 324. v. Meinecke 1, p. 446.

[5]) Demosth. Androt. p. 610. Neaer. p. 1385. Athen. 8, 21. 13, 50. 22. 65. 67. Harpocrat. Hesych. Phot. Suid. s. vv. Suid. etiam s. v. Ἑταῖραι Κορίνθιαι. Schol. Aristoph. Plut. vs. 149. Append. proverbb. 4, 72. Apostol. 17, 44.

[6]) Polyb. 4, 56. 24, 10. Liv. 40, 2.

[7]) Simonid. in Anth. Pal. 7, 509.

[8]) Philipp. in Anthol. Planud. 3, 25.

[9]) Diog. Laert. 6, 20. — [10]) Polyaen. 7, 21, 2.

Ptolemaei Philadelphi tempore Alexandriae reperiebantur nautae, qui Sinopen itinera fecerant [1]).

Romani raro Sinopen profecti sunt, quamvis coloniam eo miserint [2]).

Frequentissimum videtur commercium fuisse inter Constantinopolitanos et Sinopenses, quorum mentionem scriptores Byzantini saepius faciunt.

Turcae Sinopen Mahometo secundo regnante ceperunt [3]). Sed etiam recentioribus temporibus frequentissimum ibi esse commercium quum alii tum Tournefort testati sunt [4]).

Quod propositum erat, maximi momenti Sinopensium commercia fuisse, ostendi. Ut trapezita ipse Diogenes ille fuit Sinopensium omnium clarissimus, trapezita eius pater Hicesias, ita mercatoriam fuisse totam eam civitatem intelligitur. Atque in usum commerciorum Sinopen a Graecis conditam esse, quippe qui intellexissent, ut Strabonis verbis utar, *τὴν εὐφυΐαν τοῦ τόπου,* recentiores scriptores fere omnes consentiunt. Sed in iis, quae de origine Sinopensium traduntur, et historicorum narrationibus et poetarum fabulis explanandis reliqua versabitur disputatio nostra. Quodsi quo maior gloria alicuius Graecae civitatis est, eo maior fabularum de eius origine traditarum et quas de ea recentiores fecerunt coniecturarum copia esse solet, Sinopensium res quantae fuerint, e sequentibus iterum apparebit. —

---

[1]) Tacit. Hist. 4, 83. — [2]) cf. Cicer. Verr. 2, 1, 34. Tusc. 1, 20.
[3]) Phrantzes 1, 32. 3, 11. 4, 19. — [4]) Tournefort 3, ep. 17.

(Reliqua propediem edentur.)

VITA.

Natus ego sum Maximilianus Sengebusch, Wismariae, quae urbs est Megalopolitanorum, a. d. IX. Calendd. August. a. h. saec. XXmo, fidei addictus evangelicae. Patrem Christophorum ICtum mortuum esse doleo, matrem adhuc superstitem veneror Carolinam e gente nobili Baerenfels ad cineres usque pie colendam. Puerum me rudimentis litterarum pater ipse imbuit. Sed XIImo aetatis anno, quum parentes in Pomeraniam emigrassent, scholae Bardensis discipulus factus sum. Tertio anno post Raceburgum, quod Lauenburgensium est oppidum, a patre missus scholam cathedralem, quae illo tempore Arndtio V. D. rectore florebat, ibi per biennium frequentavi. Postea inter discipulos receptus sum gymnasii Sundensis, cui director etiam nunc praeest doctissimus Nizze. Huic pariter atque Cramero et Koestero, praeceptoribus doctissimis, plurimum me debere grato confiteor animo, quorum ille quidem ad ea quae in memoria rerum gestarum illustranda versantur studia manu me deduxit, hic Graecarum litterarum amore incendit. Anno h. s. XLmo maturitatis testimonio instructus Lipsiam me contuli, ubi a Rectore Magnif. Drobischio V. Ill. civibus academicis additus scholis interfui Godofredi Hermanni,

M. Hauptii, R. Klotzii, A. Wachsmuthii, A. Westermanni, G. A. Beckeri, Hartensteinii VV. DD. Anno h. s. XLI. almam academiam Berolinensem adii, cuius civibus ex quo me adscripsit Rect. Magn. Dieterici, V. Ill., hoc per tempus Imm. Bekkeri, Car. Lachmanni, Aug. Boeckhii, Trendelenburgii, Chr. Tim. Zumptii, Heysii, Micheleti, Agath. Benaryos, Gepperti, Mundtii, Ern. Curtii, VV. DD. frequentavi scholas, ab Augusto Boeckhio inter sodales receptus seminarii philologici.

THESES.

1. Dores ante Heraclidarum quem vocant reditum in Creta non consederunt.
2. Archilochus Callino vetustior fuit.
3. Aurum, de quo loquitur Herod. 4, 13. 27, non in Uraliis montibus, sed in Altai monte effossum est.
4. *Τελέοντας* tribum apud Athenienses fuisse nego.
5. Miletus urbs a Termilis Lyciae populo condita est.
6. Philologis Latina tantum lingua libri conscribendi sunt.
7. In libro Odysseae undecimo vss. 601 — 629, qui sunt de Hercule, interpolationi debentur.